

Ventum seminant, qui vanam gloriam sectantur (quid enim ea nisi ventus levis afflans hominem?) et hi turbinem metent, de quo Jerem. XXIII. dicitur: *Ecce turbo indignationis Dominicæ ingreditur, et tempestas erumpens super caput impiorum venit*: et Isa. XXVIII. *Væ coronæ superbiæ, sbris Ephraim, et flori decidenti gloriæ exultationis ejus, etc.* Samariam intelligit, metropolim Ephraim superbientem in munitione et corona mœnium suorum, in modum coronæ structorum, et montium circumjacentium. Et quid ei vaticinatur? *Ecce validus et fortis Dominus, sicut impetus grandinis: turbo confringens, etc. pedibus conculebitur corona superbiæ.* Quod factum, quando Salmanazar venit in Samariam, et abduxit inde decem tribus, seu Ephraim in captivitatem: eo quod debemus Deo, est ejus gloria, quam alteri non dabit, Isa. XLII. In tales ergo, qui gloriam ipsi debitam surripere conantur, turbinem indignationis suæ immittet, uti sensit imprimis superba illa Samaria; deinde fastuosus etiam ille Nabuchodonosor, qui et ipse ob amplissimam et munitissimam suam civitatem Babylon insolescens, cum in Dei contemptum prorumperet, dicens: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, etc.* repente etiam sensit turbinem indignationis Dominicæ. Statim enim: *Vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex: regnum tuum transibit a te,* Dan. IV. Quod ita factum est, ut velut amens e regno ad bestias in silvas ejectus, septennio aberraret, velut jos fenum comedens. Sic nimirum Deus, superbos humiliare aovit, et de solio deponero.

Tremendum etiam jure merito semper habitum est supplicium et repentinum Dei fulmen, quo plexus est Ananias cum uxore, Act. V. Sed quæ ejus supplicii causa fuit? Agnoscit in professione et voto ejus vanæ gloriæ admixtionem S. Hier. ep. CL. ad Hedibiam, et S. Basilius serm. de instit. monachorum. « Licebat initio, inquit Basilius, Ananiæ possessiuncalam suam Deo non polliceri ac vovere: sed postquam humanæ gloriæ cupiditate inductus, quidquid in bonis habebat, per professionem Deo consecravit, quo videlicet egregio istiusmodi facto hominum de se admirationem excitaret, de pretio autem, calide postea nescio quid interverterit, ejusmodi adversum se indignationem Dei provocavit, ejus Petrus minister fuit, ut ne ad pœnitentiam aditum invenire potuerit. » Jam vero scimus ad vocem illam Petri: *Non es mentitus hominibus, sed Deo,* veluti ad fulmen, illico corruisse et expirasse Ananiam primo, deinde uxorem ejus. Quis hic non cohorrescat? Tanti nimirum est gloriam Deo debitam sibi arrogare, quanti æstimatur apud homines, coronam regi detrahere et sibi imponere, et quidem tanto plus quanto major est Rex cœli et terræ morituris terræ regulis.

His ergo tantis vanæ gloriæ damnis perspectis, quis jam pro bono opere tam vile, imo tam perniciosum pretium, non dico exigere, sed etiam oblatum audeat accipere? Absit, absit procul a nobis merces tam damnabilis: et dicamus potius cum magistro et Domino nostro, quotiescumque boni alteri præstiterimus: *Videtur nemini dixeris.*

## DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM.

EVANGELIUM. MATTH. VIII.

In illo tempore: Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?

### CONCIONES.

- I. Tentationum commoda et causæ.
- II. Concupiscentiæ motibus quomodo obviandum.
- III. Duodecim Ecclesiæ persecutiones sub gentilibus.
- IV. Quid faciendum tempore afflictionis, præsertim famis.
- V. Emolumenta voluntatis humanæ ad divinam conformatæ.
- VI. Discrimen bonæ et malæ conscientiæ.
- VII. De humanæ vitæ miseriis.
- VIII. Documenta.
- IX. Mystera.

#### CONCIONES AUCTARII.

- I. Qua ratione, et quando Christus obdormiat nobis.
- II. Causa tempestatis, quia Christus male habetur a quam multis.
- III. Cur Ecclesiam suam Christus tot tempestatibus fatiget.
- IV. Tria asyla seu refugia afflictorum.
- V. Solatia animarum purgatorii.
- VI. Quid agendum in tribulatione.

### CONCIO I.

#### TENTATIONUM COMMODA ET CAUSÆ.

- I. Nostra humiliatio. — II. Cognitio sui ipsius. — III. Stimulus ad virtutem. — IV. Gloria Dei. — V. Justorum exercitium. — VI. Gloriosior ereptio. — VII. Majus in cælo præmium.

#### THEMA.

*Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Matth. VIII.*

Quid hoc rei, audires? Christus Dominus noster præcepit nos orare: *Et ne nos inducas in tentationem,* et quid ipse in hoc evangelio? Nonne in tempestatem adeoque in tentationem et periculum vitæ induxit suos discipulos, dum ascendens in naviculam secum duxit, dumque maris commotionem exurgere permisit? Sed sciendum nobis est, aliud esse tentationem pati, aliud tentatione vinci. Prius non deprecamur in oratione Dominica, (quis enim nisi ignavus miles rogare

ducem auderet, utinam prælium non duceretur? Quis nauta, ne navigare cogere?) posterius deprecamur, ne videlicet a Deo inducamur, seu potius induci permittamur in ejusmodi tentationem, in qua prævidet nos vincendos. Porro hæc tempestas ejusmodi erat, ut facili negotio superari a discipulis posset. Sed quamobrem, roget aliquis, permittit Deus excitari tentationum fluctus et nos in eos induci? Audiamus causas, simulque utilitas talium tentationum.

I. Nostra humiliatio. Tentatio libramentum est justorum et saburra quasi navim justo arenæ pondere margens, ne vel ab undis superetur, vel nimium eas superet, hincque a ventis abripiatur et evertatur. Audiamus S. Gregor. lib. XIX. moral. cap. VI. « Optima, ait, virtutis custos est infirmitas vel pressurarum vel tentationum: et sit certo moderamine, ut dum quisque sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius, nec desperationis lapsum, nec elationis ineurrat, sicque cognoscimus in profectu quod accepimus, in defectu



quid sumus : et sic subtilissima inferni iudicii moderatione infra summa et supra infima, in quodam medio anima libratur. » Vident et experiuntur subinde viri docti et virtute eminentes pulsari se tentatione pusillanimitatis et sæpe levissima re inordinate amata inescari, vinci, dejici; ne scientia suo more eos inflet, ne virtus extollat. In vitis patrum legimus adolescentem stimulo carnis dire exagitatam, cum frustra remedia cætera tentasset, falsis criminationibus a sociis jussu abbatis assidue appetitum, tentationem superasse. Postea rogatus ab abbate, an adhuc ea pulsaretur? Vah! inquit, vivere non libet et fornicari libet? Ita nimirum una sæpe tentatio est cuneus ad superandam aliam periculosiorem. Colaphizamus a stimulo carnis, ne de nobis præsumamus et superbe sapiamus. « O quantos vidimus, inquit D. Laurentius Justinianus, in ligno vitæ tractat. de patientia, cap. IV. modicis tentationibus a magnis periculis protegi et tentatione quadam timoris et corporali quadam ineptitudine a peste superbie liberari, qui alias quasi equi effrænes suis talentis superbirent? »

II. Cognitio sui ipsius. *Vasa figuli probat fornax, homines justos tentatio tribulationis*, ait Ecclesiasticus, cap. XXVII. Ostendit enim tentatio, an vere in virtute et Dei amore solidati simus. Aquæ mortuæ seu stagnantes non putent, dum immotæ manent; motæ vero tetrum et intolerabilem spargunt odorem. Ita multi quamdiu non tentantur, perfecti sibi videntur: sed tentatio aperit, quid sint. *Nescimus sæpe quid possumus, sed tentatio aperit quid sumus*, ait Thomas de Kempis. Nisi tentationibus pulsaremur, herodes nobis videremur: at cum iis premimur lapsui proximos nos videmus, demittere aliquid incipimus, ut docet S. Greg. I. II. mor. c. XXXVII. « Nam esse se magnarum virium, inquit, homo crederet, si nullum unquam earundem virium defectum intra mentis arcana sentiret. Sed cum tentatione irruente quatitur et quasi ultra quam sufficit, fatigatur, ei contra hostis sui insidias munimen humilitatis ostenditur. » Expertus hoc in se est David, quando cæso Goliatho diligebatur a rege et omni populo, factusque tribunus et gener regis cantabat: *Ego autem dixi in abundantia mea: Non movebor in æternum*, q. d. nemo me dimovebit a mea felicitate. Sed quod sequitur: *Avertisti faciem tuam a me et factus sum conturbatus*, vult dicere: In medio felicitatis destitisti me, ac permisisti incidere in odium et persecutionem regis. Permisit vero id Deus, ne nimia prosperitate supra se elatus in præsumptionem caderet.

Bene igitur Sapiens dixit: *Qui non est tentatus, quid scit?* Eccles. XXXIV. Quid scit, inquam, de seipso, probusne sit an improbus? Solidusne an fragilis? Dantur adamantes, qui malleorum ictibus cedunt et franguntur: dantur et quibus mallei cedunt, utrimque dissilientes, teste Plinio, lib. ult. c. IV. quales Indici et Arabici, (apud Lud. Vivem scholiasten Augustini XXI. de civ. c. IV.) Ut ergo ille tantum adamas in pretio habetur, qui malleorum ictibus probatus est: ita et ille Christianus, qui tentationibus pulsatus perstitit in virtute, juxta id Eccles. XXXI. *Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna.*

III. Stimulus ad virtutem. Ita enim tentationem nominat apostolus, II. Cor. XII. *stimulum*, inquam, non gladium, non pugionem, non lanceam aut fustem. Stimulus enim citra noxam et vulnus pecus propellit ad gressum velociorem: ita tentatio non nocet, sed alacrius in via virtutis progredi cogit. Ventus est tentatio; is dum ventilat arbores, magis consolidat: hæc dum hominem exagitat, magis roborat, ut docet Gregorius, II. mor. cap. XXVI. Accedit Nilus abbas: *Plantas, inquit, enutriunt venti, et tentatio confirmat animæ fortitudinem.* Hiberno tempore stomachus ob externum frigus majori abundat calore, qui per antiperistasin se colligit ad stomachum et desistit circumstanti frigori. Si thesin aliquam propugnes, eo pluribus et validioribus te munis rationibus, quo pluribus argumentorum telis eam impugnari videris. Si cum acri antagonista congregiendum tibi est, omnes vires exeris. Marce enim sine adversario virtus. Ita omnino Dei servus, quo magis oppugnari virtutem suam cernit, eo magis sese armat ad eam contutandam, magisque in ea proficit. Illustrat hanc doctrinam, quod refertur in vitis pp. lib. III. cap. VIII. de quodam seniore, qui videns discipulum graviter tentari fornicatione: « Si vis, inquit, o fili, deprecor Dominum ut auferat a te istam impugnationem. » Cui discipulus: « Video, pater, quia etsi laborem sustineo, sentio tamen fructum iri me perficere bonum: quia per occasionem impugnationis hujus, et amplius jejuno et amplius in vigiliis et orationibus tolero: sed deprecor te ut exores pro me misericordiam Domini, ut det mihi virtutem, quatenus possim sustinere et certare legitime. » Mox senior: « Nunc cognovi, fili, quia fideliter intelligis, quod hoc spirituale certamen per patientiam ad salutem æternam animæ tuæ proficiat. » Inter alia stimulat tentatio ut ad Deum recurramus pro subsidio et ope; utpote quam nobis necessariam advertimus, ad victoriam parandam. Unde S. Chrysost. lib. I. de prov. ait: « Quando malignus ille perterret

nos atque probat, tunc frugi efficimur, tunc nosmetipsos agnoscimus, tunc ad Deum omni studio recurrimus.

IV. Gloria Dei et virtus justorum, ut innotescat utraque. *Omnis quidem homo mendax*, id est, labilis et instabilis, pulvis et cinis est: potest tamen Dei virtute ita consolidari, ut quoscumque ictus maligni hostis sustineat et contemnat: atque in eum finem vult ejusmodi hominem Deus tentationibus examinari, ut probetur ejus virtus et pateat Dei gloria, qui in sanctis suis tam mire operatur. Vinum quod ex aqua fecit Dominus, statim architrucino afferri degustandum jussit. Quo examinato is, *bonum vinum*, inquit Joan. II. Sanatum paralyticum jussit tollere lectum suum et portare in domum suam: quo nimirum pateret eum revera et integre sanatum esse, Joan. V. et Luc. V. Puellæ resuscitatæ jussit dari ad manducandum, Marci V. Lazarum suscitatum jussit solvi et abire, Joan. XI. Cur hæc? Ne suspecta esset istorum salus; ideo examini subjecta. Par ratio est in justis. Hos enim in baptismo et pœnitentia per gratiam suam consolidat, ideoque probari vult per varias tentationes, ut eorum pateat sanitas et virtus, indeque Dei gloria. Exemplo est S. Job, cujus virtus et patientia ut pateret orbi, voluit eum Deus subicere vexationi dæmonis; ad quod eum invitavit verbis illis: *Considerasti servum meum Job quod non sit ei similis in terra?* Neque enim credidit dæmon tam solidum, tam adamantinum, tam armatum esse, ut omnis generis clades sustinere posset: postea expertus est. Inde patuit virtus Jobi, inde et Dei gloria. Deinde hoc ipso, quod diabolus tentat hominem justum, indicat in eo esse talia Dei dona, quibus alios multos excellit, ipsumque imprimis diabolum, neque enim eum tentaret, nisi in majore honore conspiceret esse positum. Hinc adversus Adam primo consurrexit, quia excellenti dignitate vidit præditum: propterea et contra Job arma movit, quia viderat eum a Deo magnis laudibus celebratum. Bonum ergo indicium et magnæ gratiæ argumentum est tentari: tantum abest, ut malum. Denique, ut pateat diabolo, justos in baptismo et conversione sua vere et ex animo ei renuntiasse, ut qui nullis artibus, minis vel promissionibus revocari ad eum possint. Miles a suo duce ad hostium partes profugiens, si ad primam ducis vocem territus ad eum revertatur, minime censetur ducem suum deseruisse.

V. Justorum exercitium. Nisi enim tentationibus subinde agitentur et ventilentur, otio torpescunt indeque computrescent. « Sicut caro, (inquit Sanctus Laurentius Justinianus, loco supra cit.) si sale non aspergitur, quamvis sit magna

et præcipua corrumpitur: ita et anima nisi tentationibus assidue salietur, continue resolvitur et relaxatur. Per ipsa namque tentamenta anima negligentia putredinem excutit et in spiritus, vivacitate conservatur. » Narrat Palladius abbatem pastorem cuidam dicenti: *Oravi Deum et liberavit me ab omni tentatione*, respondisse: *Ora Deum ut tibi tuas tentationes reddat, ne fias deses et negligens*; idque a Deo approbatum esse. Quem admodum eos aciem, ita tentationis exercitatio vires animi acuit et auget. Equus qui ad cursum nunquam exercetur, nullum impetum sustinet, imbellis est et impotens: contra qui bello assuetus est, nec armorum strepitus, nec bombardarum sonitus timet, agilis et robustus est. Manus agrorum laboribus assuetæ, in callum obdurantur et fortes sunt: contra delicatæ et otiosæ minimo labore franguntur ac vulnerantur. Ita res habet cum anima; enervatur enim otio; roboratur tentationis exercitio.

VI. Gloriosior ereptio. Sinit enim Deus veluti strenuus natator mergi nonnihil eos, qui minus natandi arte pollent, sed cum videt eos deficere, illico eis adnatat et auxilium præbet. Testatur id Isaia LIV. cap. *Ad punctum in modico dereliqui te, in miserationibus magnis congregabo te.* Fecit hoc Petro Dominus, quando super mare ambulans, idipsum Petro concessit, et mergi incipientem erexit. Hinc omnes ædificati adoraverunt eum, dicentes: *Vere Filius Dei es*, Matth. XIV. Idem fecit Petro, post lapsum erecto; inde enim humilior et cautior surrexit. Et propterea non oravit Dominus, ne cribrarentur a Satana discipuli tamen ea cribratione vincendi essent: sed ut ea tentatio in majorem ipsorum utilitatem cederet, essetque illis instar cribri, quo purificarentur. Cum a populo vexarentur et insidias paterentur Moyses et Aaron, fugerunt illi ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes et apparuit gloria Domini, Num. XVI. Ita cum tentantur justi, recurrunt ad Dei opem veluti asylum, descenditque nubes protectionis diviniæ ad eorum defensionem, et suam in eis gloriam manifestat.

VII. Majus in cælo præmium. *Beatus enim vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, inquit S. Jacobus, c. I. et Joannes, Apoc. III. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei*, id est, ut sit magnus et gloriosus, tum in Ecclesia tum in cælo. Hujusmodi columna erat inter alios S. Antonius, cui post tentationes et pugnas cum diabolo habitas apparuit Christus dicens: *Quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi et faciam te in toto orbe nominari*, Athanas. in ejus vita. Atque



hinc etiam oritur ira in animo tranquillitas post superatam tentationem, ex spe nimirum sublimis coronæ, quæ victores in cælo expectat.

Quare auditores, non modo non moleste accipite, cum tentationis procella exurgit; verum, ut cum S. Jacobo, c. I. loquar: *Omne gaudium existimate, cum in varias tentationes incideritis*. Non orandum quidem ut in tentationem incidamus; sed si ex Dei voluntate inciderimus, gaudii materiam habemus. Duo habet tentatio: sollicitat ad peccatum, et dat materiam luctæ. Ex illo capite fugienda, ex hoc vero amplectenda est; atque hoc sensu dicere possumus id Cant. IV. *Surge aquilo et veni auster* (ille austerus et frigidus, hic vero noxius ventus est) *et perfla hortum meum, et fluent aromata ejus*. Aromata, hoc est, commoda tentationis indicata, etc.

## CONCIO II.

CONCUPISCENTIE MOTIBUS QUOMODO OBIVIANDUM.

I. Primis motibus mox occurrendum. — II. Contemnendi primi motus. — III. Animus colligendus. — IV. Mens bonis rebus occupanda. — V. Oratio adhibenda. — VI. Explorandæ tentationes.

## THEMA.

*Ecce motus magnus factus est in mari*. Matth. VIII.

Quod naviculæ Christi in hodierno evangelio contigit, pro sæpe nimis contigit cordi humano et unicuique nostrum. Ibi ventus excitavit fluctus, hi navem operuere et pene obruere. Quid ventus est, nisi tentatio? Ventus exhalatio est a nube in terram depulsa, tentatio illecebra est a maligno dæmone cordi nostro ingesta. Ventus agitat fluctus, tentatio motus concupiscentiæ ciet. Hi ergo in cor nostrum magno sæpe impetu sæviunt, quasi id eversuri, et a Deo omnique virtutis proposito aversuri. Audiamus magnum apostolum hac tempestate agitatum, et propterea ingemiscens: *Infelix ego homo*, ait ad Rom. VII. *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quare nos instar providi navarchi præmuniamus nos contra istos fluctus, et discamus, qua ratione eis, si forte ingruerint, occurrere debeamus.

I. Vento concupiscentiæ exurgente, statim impera illi et dic: *Tace, obmutescere*. Visne clarius? Primi motus non sunt quidem in nostra potestate, sed possumus tamen illis cito obviare, et principiis obstare. Non possumus quidem vivere citra omnem tentationem. Possumus tamen, ut ait S. Hieronymus, in epistola ad Eustoch. *dum parvus est hostis, eum interficere, nequitiam elidere*

*in semine*. Unde David, Ps. CXXXVI. *Beatus, inquit qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram*. Hujus modi parvuli sunt carnis, iræ, superbiæ, impatientiæ titillationes, ad Christum firmissimam petram allidendi. Quod si istis motibus vel minimam fenestellam aperueris, illico vires accipient et robur, fortiusque ad peccandum impellent; uti respondit aliquando dæmon S. Pacoio, in vitis pp. I. p. pag. DCCCCXIII. Non potest nauta ventos compescere, potest tamen ratio compescere motus concupiscentiæ: potest illis dicere: *Tace, obmutescere*: non assentior, non audio; quia Deus dixit homini: *Sub te erit appetitus ejus (peccati), et tu dominaberis illius*, Gen. IV. Sed quemadmodum puero facilius dominamur quam viro: ita res habet in concupiscentiis. *Cogitatio fornicationis*, inquit abbas quidam in vitis pp. cap. de fornicat. *fragilis est, velut papyrus*. Si ergo jactetur in nobis, et non acquiescentem projiciamus illam, a nobis facile rumpitur. Contra quam difficulter superentur inveteratæ cupiditates, ostendit Sanctus Dorotheus, serm. XI. exemplo cujusdam confratris sui, qui ad ipsum venit dicens: *Da mihi veniam, obsecro domine, et ora pro me, quoniam et furtim surripio et comedo*. Concedit igitur illi, ut adeat œconomum, quoties esurierit, comedatque quantum placuerit, modo ne quid furetur in posterum. Fecit ille, ut jussus erat: sed paulo post rediens ad Dorotheum, iterum se furari et furtim edere queritur, quod petere erubesceret. Jubet ergo Dorotheus, petere in posterum a se quidquid libuerit confestim obtenturum. Accessit ille cum voluit, et comedit quantum voluit: sed ecce rursus furari incepit, narransque id Dorotheo, ait: *Ecce denuo furor, et nescio cur id faciam*. Cui Dorotheus: *Dic mihi revera, quid agis ex his quæ furaris?* Respondit: *Asino ea appono*. Atque ita inventum est; furabatur enim palmulas, ficus, cæpas et alia id genus, quæ sub lectulo reponens, cum denique nesciret, quid cum iis ageret, asino offerebat. *En frater*, subdit Dorotheus, *quam miserum sit passiones habere jam inolitas, et in habitum prolapsas*. Bene ergo S. Chrysostomus, hom. XXII. ad pop. ait: *Canis similis est voluptas: si pellas fugit, si nutrias, permanet*. Serpens est concupiscentia, quo caput infert, eo totum corpus facile inducit.

II. Contemne istiusmodi motus, quia nullum est peccatum in sensu, sed in consensu tantum. Materia potius virtutis et meriti sunt hi motus, quam peccati. Audi Bernard. de vit. dom. « Molestia est lucta, sed fructuosa; quia si habet pœnam, habebit et coronam. Nol. nocet sensus, ubi non est consensus, imo quod resistentem fatigat, vincentem coronat. » Docemur et hoc a

Christo, cum dixit ad discipulos fluctuantes: *Quid timidi estis, modicæ fidei? Ubi est fides vestra?* Ergo si credimus certissimæ theologorum doctrinæ, primos scilicet motus, quamdiu illi non condescendimus, non auscultamus, non admittimus quod suggerunt, peccato carere; quid timemus et turbamur? Virum spiritualem designat onager, qui ut ait Job, capite XXXIX. *Clamorem exactoris, id est ventris aut carnis non audit*. *Clamorem exactoris non audire*, inquit Gregor. libro XXX. moral. capite XIII. *esi violentis tentationum motibus minime consentire*. Idem omnino judicium esto de pravis, quæ insurgunt, cogitationibus vel contra castitatem, vel fidem, aliamve virtutem: quo enim absurdiores sunt, eo minus periculosæ: quia a consensu tuo longius absunt. Hinc S. Catharinæ Sennensi, dum immundis cogitationibus admodum jactaretur, respondit Christus se tum in corde ejus fuisse, fecisseque, ut ei displicerent cogitationes illæ. Fac igitur quod docuit pater quidam spiritualis monachum ejusmodi fœdis cogitationibus vexatum viginti annis, apud Gerson. III. p. f. LXXI. Cum te invaserit talis turpis cogitatio, dic: « Tibi et super te, inimice nequam, sit hæc tua blasphemia: ego nihil in ea habere volo, sed Dominum meum adoro et veneror in ipsumque credo. Imo ne conflictu aut voce quidem opus est: satis imo securius est, contemnere hos latratus; quomodo generosi canes transeunt immoti percatellos et despiciunt latrantes; vel sicuti viator, cum turbo in ejus vultum attollit et conjicit pulverem, clausis oculis transit. Tantum abest ut anxii esse debeamus quæ anxietas sæpe plus obest, quam prodest.

III. Anchoram jacio et firmato navem, hoc est, siste animum et cogita quid agas, quo abripiaris, quid quæras; antequam sequaris concupiscentiam tuam. Videbis enim primo, forte non assecuturum te, quid quæris, juxta id Jacobi IV. *Concupiscitis et non habetis*, id est, non obtinetis quod concupiscitis. Vel enim id omnino non assequuntur, quod sæpissime fit; vel eo, quod quæsierunt, habito, ne dum acquiescunt, sed magis accendunt sitim, vel acquisitum cito fastidiunt et alia desiderant; vel id non tam possident, quam ab eo possidentur; unde re cupita frui ac gaudere nequeunt, uti avarus nummis.

Videbis secundo, cupiditates omnes relinquere post se amaritudinem, vermem, pudorem. Unde præcepit Aristoteles: *Ut voluptates abeuntes consideremus*, (apud Valer. lib. VII. capite II.) *non venientes*, veniunt enim eum dulcedine, abeunt cum amaritudine, quomodo aquæ dulces abeunt in mare et in eo fiunt amaræ. Testem habemus expertum Salomonem, qui in omnibus suis cu-

piditatibus asserit se non invenisse nisi vanitatem et afflictionem animi. Idem Aristoteles, II. eth. capite ult. docet ut circa voluptates nos geramus, sicut proceres Trojani circa Helenam, qui eam dimittendam censebant, ne belli damna et excidium incurrerent. Et Epictetus, capite LVI. « Si voluptatis alicujus imaginem (inquit) animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea movearis. Sed et rem examina et tibi ipsi præbe deliberandi spatium: deinde utriusque temporis memento; tum ejus quo voluptate perfrueris, tum ejus, quo percepta jam voluptate dolebis teque ipse objurgabis. Atque his illa confer si abstineris fore ut gaudeas teque ipse collaudes. » Corvum scribunt in sicca æstate, tametsi pluviam prænuntiat et sitit, abstinere tamen a potu aquæ pluvialis, ad ventris profluvium sedandum, Pier. lib. XXIII. hierogl. Sic coercuit se David abstinendo a potu concupito, quem sine nota temeritatis bibere non poterat, II. Reg. XXIII. Item cum peperit Sauli, I. Reg. XXIV. Cur non ita sapimus nos? An nescimus gulam desinere in crudelitatem stomachi, membrorum dolorem ac tremorem, morbos denique et immaturam mortem? Libidinem in luem veneriam et membrorum depravationem; superbiam in odia; invidiam in emulationem, et inquietudinem; avaritiam in curas et anxietates.

IV. Strenue labora, nautarum instar, cum vel pontem vel alium locum periculosum transeunt, qui totis viribus remos trahunt, clavum semper in manu tenent, etc. Hunc in modum tu mentem tuam avoca a re quæ tibi prosequenda objicitur; velut si conventus ab aliquo narrante tibi nugas, animum non advertas, nec cures quæ ille blaterat, sed operi tuo intendas. Quare ut monet Sanctus Hieronymus: *Semper aliquid boni facito, ut te diabolus inveniet occupatum*. Sic docuit angelus Antonium vincere tentationes, nunc extendendo calathos, nunc procumbendo ad orationem, ut alibi diximus. Ad hæc obnitere obniti concupiscentiæ tuæ: perturbat te illa, perturba et tu illam. Sic faciebat ille sanctus, qui corpus onerans dicebat: *Vexo vexantem me*. Tentatus enim spiritu superbiæ, sportam terra impletam gestavit de loco in locum, apud Pallad. Narrat Smaragdus abbas, lib. de gemmis, vidisse aliquando nescio quem religiosum duos dæmones inter se fabulantes, quorum alter: « Hem, ut tibi succedit cum tuo monacho? Ex sententia, (alter respondet,) nam quicquid ipsi suggero, arripit, cogitandoque fovet: postea singula relegens, cogitationis ortum, occasionem vel progressum, moram inquirat, an ei pro virili vestiterit, an consenserit, num quid aliunde